

Propter quod furtis deus iste preesse putatur.
 Hermen legatum bene dicunt esse deorum,
 Quorum deportat mandata minister eorum.
 Copia sermonis his suppetit usus et oris,
 Qui secretorum sunt participes dominorum.“ 240

Denuo Pan inquit: „Non te mea, Phebe, relinquit
 Fistula laudatum, dux o celeberrime vatum,
 Vatum tu numen, mundi splendor, iuge lumen,
 Virtus, vita, salus. Parnasi nempe cacumen
 Et iuga Cirrea vel tota cohors Pegasea 245
 In te letatur, tibi concinit et modulatur,
 Te regitur, Phebum sequitur, Phebo famulatur.

Phebus ad hec: „Ego nec fictos affecto favores 246
 Nec velud inmeritus meritos aspernor honores.“

<Pan>:
 „Lumine, Phebe, tuo mundane res hilaescunt. 250
 Phebe, calore tuo vivencia cuncta calescunt.
 Per tua responsa panduntur, Phebe, futura,
 Fons et mons vatum, vates quoque sunt tua cura.“

<Phebus>:
 „Dant arcum, citharam, corvum, laurum tripodasque.
 His ego famosus precello deosque deasque. 255

236 Propter quod] *Nach Korrektur.* 236 preesse] *Wie in der Dichtung üblich, wird die erste Silbe wegen des folgenden Vokals als Kürze gemessen.* 247 Te] *scil.*